



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Duodecima Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

## Duodecima Aprilis.

1<sup>o</sup>. *De S. Erkenbodone, episc. Morinen.*  
*Ex Chronicis Ioannis Iperij abbatis Bertinensis, &*  
*responso ad meas litteras.*

**M**onasterio Sithiu, depositio sancti ERKEN-  
 BODONIS, Morinorum episcopi & abbatis  
 Sithiensis. Qui in monasticis & regularibus dis-  
 ciplinis à primæua ætate sub sanctissimo Bertino  
 militauit, vsque ad congruentem ætatem. Abba-  
 tiæ deinde in Sithiu, vir omni bonitate conspi-  
 cuus, regimen, quartus inchoauit anno septin-  
 gentesimo decimo, cui etiam chartas seu priuile-  
 gia quatuor acquisiuit: post sexennium verò in  
 episcopum Teruanensem est sublimatus. In quo  
 & simul in abbatia, per annos viginti & sex rese-  
 dit. Estque cum magna reuerentia sepultus in  
 monasterio sancti Audomari, siue in basilica san-  
 ctæ Mariæ, quam Audomarus pridem dedicaue-  
 rat, in qua nunc resident cathedrales Canonici  
 sancti Audomari. Qui sepulcrum in præfata sua  
 ecclesia ostendunt: corpus in summo altari, caput  
 verò in particulari vafe reconditum conseruant.  
 Festum translationis eius celebrant sexto Idus  
 Septembris.

2<sup>o</sup>. *Memoria Victæ Constantinopolis.*

*Ex Chronicis eius temporis.*

**E**odem die victoria occupatæ Constantino-  
 polis Cuius vrbis genethiam, Græci inter Sancto-  
 rum memorias in suo notant Menologio, die vndecima  
 Maij: sed maioribus nostris multo potiori iure memoranda  
 fuit victoria occupatæ per Gallos & Venetos vrbis, anno  
 millesimo ducentesimo quarto. Ea enim consecuta, sacra

militia,

militia, Græcorum Augustum Imperatorem pronunciauit Balduinum, Flandriæ & Hannoniæ Comitem, primum Belgarum ducem: Qui Græcos ad obedientiam Sedis Apostolicæ reuertit fecit. Cui Veneti Thomam Maurocenum patriacham subiecerunt. Sic Orientis imperium mansit penes Belgas annis fere sexaginta, quod deinde post Paleologos occuparunt Mahometani Turcæ. Contra quos utinam tandem Catholici Principes, maiorum suorum exemplo, in vinculo pacis manus suas coniungerent, sanctamque colligationem inirent.

*Vide Canonem 4. Concilij Lateranensis.*

Die decima-tertia Aprilis.

*Obitus beatæ Idæ viduæ.*

*Ex Iperio, chronographo Bertinensi.*

**I**N Flandria, monasterio *Vuast*, obitus beatæ Idæ, matris Godefridi & Balduini, regum terræ sanctæ, virtutibus & miraculis claræ. Quæ ad dictum locum à beato Hugone Cluniacensi abbate petijt quosdam mitti. Quem locum etiam, ante altare sepulta, prodentibus miraculis, protegit & munit. Corpus autem post multa tempora repertum est illæsum.

Decima-quarta Aprilis.

1<sup>o</sup>. *De S. Lamberto, episcopo Lugdunensi.*

*Ex vita beati Vuanndregisili, & ex Angrado.*

**L**Vgduni, depositio sancti LAMBERTI, episcopi & confessoris. Qui sub S. Vuanndregisilo Fontanellæ fundatore monachus claruit. Quo pertinet quod beatus fundator ante mortem dixit: *Duo sunt in presentia vestra charissimi, qui vicissim post meæ fragilitatis discessum, in regiminis succedent locum.* Subdit enim historiæ scriptor: *Erat namque vnus, Lambertus, vir eximia religionis, & generis,*

*In historia 22. Iulij.*